GODEFRIDUS ADMONTENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 67r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift



psalmista dicens. Inclina cor meum in testimonia tua. et non in
auariciam. Contra uiam posuit uerbum hoc inclina. per quod humilitas de
signatur. quia cor in humilitate fundatum. arcet a se per humilitatis
uirtutem malignorum spiritum introitum. ne sit inuium uel paruium suggestioni
bus et immissionibus eorum. Contra uiam. contra mentis negligentiam ora
uit dicens. inclina cor meum. contra petram. contra cordis duriciam ora
uit adiciens in testimonia tua. per que sacre scripture meditatio ex
primitur. quia nichil est quod cor hominis ita emolliat sicut testimo
niorum dei meditatio. ex qua generatur sollicita mandatorum dei obserua
tio. Postquam duo ista. uiam scilicet et petram. per humilitatem et mandatorum
dei obseruationem homo declinauerit. tertium quod est auaricia. ei non pre
ualebit. cor enim humile. et in obseruatione mandatorum dei sollicitum.
et si a diabolo sollicitudinibus. a mundo diuitiis et honoribus. a carne
uoluptatibus impugnatur. non tamen superatur. sed conualescente in eo semi
ne uerbi dei. ad referendum dignum deo fructum cottidie animatur. Sub
iunxit quod dominus et ait. Et aliud cecidit in terram bonam. et ortum fecit fruc
tum centuplum. Quid per terram bonam et fructum centuplum signauerit. ex
ponit ipse cum dicit. Quod autem in terram bonam. hi sunt qui in corde bo
no et optimo audientes uerbum dei retinent. et fructum afferunt in
pacientia. Terra bona. bonus homo designatur. corde bono. cor ti
moris. corde optimo. cor amoris figuraliter denotatur. Et recte duo
ista. timor utique et amor. duobus precedentibus. uie scilicet et petre op
ponuntur. contra uiam timor. contra petram amor. timor enim dei stringit
hominem ne sit uia. ne sit negligens in cordis custodia. amor dei
emollit hominem ne sit petra. petrosa uidelicet terra. ab humore
interne dulcedinis torrida. Igitur cor bonum. dicere possumus cor
munitum per custodiam. cor optimum. cor mollitum per amoris gratiam. Et bene
dicit. qui in corde bono et optimo audientes uerbum retinent. Cor
de bono uerbum dei auditur. corde optimo retinetur. bonum enim est uer
bum dei audire. optimum est retinere. hoc est operibus adimplere.